



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Magna Gloria Antiquæ & Novissimæ Domus
Schwarzacensis A Magno Sacerdotio Sive Vita & Res
Præclare Gestæ ... DD. Abbatum Celeberrimi &
Antiquissimi Monasterii O. S. B. in Münster-Schwartzach**

Friedrich Karl <Bamberg, Bischof>

Wirceburgi, 1743

Benedictus Abbas I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64362](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64362)

SÆCULUM I.

*Ab Anno Christi 815. usque ad 915. numerat
Abbate quinque.*

Benedictum, Madelbertum, Hardwi-
gum, Ebbonem, Tragulphum.

BENEDICTUS ABBAS I.

Monasterio Schwarzacensi Ordinis S. Benedi-
cti (cui à Meingaudò Duce & Caroli M.
Nepote, Conditore nostro munificentissimo no-
men *Meingaudenhausen* initio adhæserat) pri-
mum Abbatem Gallia submisit Benedictum unà
cum lociis II. anno Domini 815. Illi Meingau-
dus Dux consentiente conjuge suâ Yma (Leone
III. Ecclesiæ, Ludovico Imperii, Wolffgero Ec-
clesiæ Herbipolensis clavum tenentibus) Mona-
sterium recens excitatum & amplissimis redditi-
bus instructum tradidit. Benedictus eidem
præfuit summâ pietate, dexteritate, & sapientiâ;
quæ cum magna in rebus omnibus, maxima ta-
men enituit tum, cum libros plures summo rei
literariæ suo in Monasterio emolumento describi
cura-

curavit; quid? quòd religiosè sapientissimi Præ-
 fulis fama orbem pene universum ità compleve-
 rit, ut in ipsam adeò Ludovici Cæsaris aulam pe-
 netrârit; à quo Coloniam Agrippinam accitus,
 Monasterii sui negotia ibidem felicissimè pertra-
 ctavit. At ecce! dum Coloniâ redux suum in
 Monasterium cogitat, anno regiminis 28. à Chri-
 sto nato 843. ab Alberico quodam Comite ca-
 pitur, Treviros abducitur, crudeliter perimitur;
 ibidem in Monasterio S. Maximini terræ manda-
 tus.

MADELBERTUS ABBAS II.

Intellectâ Benedicti crudelissimâ cæde novum
 sibi Abbatem Madelbertum religiosa familia suis
 suffragiis creavit anno Christi 843. temporibus
 Ludovici II. Pii Imperatoris, & Gotzwaldi Epi-
 scopi Wirceburgensis. Id temporis fuisse legitur
 aliud adhuc Monasterium Virginum Deo sacra-
 rum O. S. B. in villa Schwartzach; quod tamen
 deinceps, unâ cum nostro, petente Gotzwaldo Epi-
 scopo Wirceburgensi, annuente Ludovico Im-
 peratore Tydrada Caroli M. neptis (Meingaudi
 filiam fuisse aliqui volunt) D. Kiliano tradi-

B

dit